Constantino Hugenio Iurisconsulto
C. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Repeto sacra, ut redimam profana. Vereor enim, ne si diutius sileam, usucapionis ergo me iure utaris, et actionem tibi arroges in rem directam. Nec enim iam, quod olim, allegare licet, sola bona Italica usucapi, d. l. un. pr. mancipi nec mancipi. Cum ex iure hodierno omnes res corporales usucapiantur. nisi illud usucapionis ius tibi evertat, quod rem detineas commercio exemtam, carmina & litteras, quae sacris & religiosis rebus annumeranda meo quidem iudicio existimo. Adde et hoc, quod bona fide usucapere non possis, cum non ignores, rem esse alienam. l. 32 §1. hic. l. 21. C. de furt. Quare, coeptam (uti videtur) praescriptionem interpello, non naturaliter, sed civiliter, litem contestando, intra statuta tempora, ne ab agendo excludar, et post immemorialem usucapionem repetundarum iure excidam. Miseram istum chartarum fasciculum commodato, cuius proprium hoc esse scis, ut res restituatur, et quidem eadem specie cui. par. hic. Ult. i. Iurisp. 32. et quidem non deterior l. 3 §1. hic. Unde cum adversus commodatarium mihi actio sit, rem integram, nec deterioratam (hi flosculi sunt vestri iuris) mihi restitui peto. aut re perempta aestimationem praestari volo. Nec video, quid regerere possis, cum a re commodata prohibitus non sis, nec damnum ex vitiosa re scienter commodata senseris, quod sciam. nisi forte, aut aulae curas pro impedimentis allegare veles, aut damnum interpreteris, quod chartas istas meas volvendo bonas horas perdideris. Sed hanc rem iudicis arbitrio permittamus. Nunc ad sacra illa revertor, cujus mentionem inieci. Habes mi Hugeni Hymnum meum in Christum, non poëseos, sed sinceri erga Christianam religionem affectus specimen. In eo Servatoris nostri laudes pio encomio prosequor. quanquam qui possim digne, cum in mysteria illa introspicientes Angeli stupeant. Ab aeternitate eius exorsus ad Creationis opus descendo, cum omnia per ipsum facta sint, quae facta sunt. Hinc foederis gratiosi cum homine lapso initi sequestrum ac Mediatorem intueor. Post haec universae Legis et ceremoniarum colophona, et prophetarum oraculis designatum. Tandem Deum in carne conspicuum cano, vagientem, pauperem, fugientem, docentem, miraculis operibusque potentem, in cruce passum, a morte reducem, glorioso coelos repetentem, Ecclesiae rectorem, et, in quo desino, venturum vivorum & mortuorum iudicem. Si non docta, si non

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 28
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/419

poetica, dixi pia. Dixi ex devota ſacris mente, dixi, ut cantu perſuaderem, quæ apud populum aliquando gravi oratione diſſerui. Dixi, non in gratiam partium harũ vel illarum, ſed piorũ & Chriſtianorũ omnium. Caruit Chriſti tunica ſutura, et meum carmen diſſuitæ, proh dolor, pacis vocibus. Vale Hugeni præſtantiſſime. et in ~~cu~~ Epiſtolam hanc Juridico-Theologicam quadrare puta illud magni vatis Humano capiti &c. aut Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprũ. Lugd. Bat. v Id. Jan. CIƆIƆCXXIX.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 28
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/419

Den mijn heer
mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder & Secretaris van sijn Ex.tie
woonende ende Gedille [illegible] staet

Hage

Port

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 28
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/419